



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros  
Decretalium, Tomus ...**

In Librum IV. Decretalium, per viginti, & unum Titulos distributum, De  
Sponsalibus, Et Matrimoniis, eorumque impedimentis, ac dispensationibus,

...

**Schlüter, Georg**

**Augustæ Vindelicorum, 1702**

§. VIII. An mandatum dispensationis exspiret mortuo Papâ?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73058](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73058)

## §. VII.

Quando delegatus censeatur habere jurisdictionem?

222. R. i. quod nullam habeat jurisdictionem quoad exercitium, priusquam literarum mandati sibi presentata fuerint. Licet enim ipsa die datae litterarum jurisdictionem recipiat *in habitu*, non habet tamen *in actu*, & exercitio ante earum presentationem. c. *super eo*. 12. de *Appellat.* ibi: si autem intra certum tempus lis decidenda committitur, ex tunc terminus incipit currere, cum *Judices contigerit literas recepisse*; & c. *Pastoralis*. 12. de *Rescript.* ibi: sed *antequam exprimentur persone, vel res, delegatus nequit jurisdictionem hujusmodi exercere*. ubi Gl. *V. Jurisdictionem*, habet ergo jurisdictionem, ait (intellige, habitu) licet non habeat exercitium.

223. Ex hoc sequitur, omnia acta delegati post datam litterarum, sed ante illarum presentationem, esse nulla, & irrita, nec convalescere post subsolutam illarum presentationem, ut docet Sanchez l. 8. *matr.* d. 29. num. 10. & alij. Unde non sufficit, quod sciat, delegationem in se factam esse, ut docet Lotharius l. 1. q. 40. n. 27. Nam vis delegationis non stat in scientia, vel ignorantia delegationis, sed in productione litterarum, seu mandati; ratio est, quia, cum jurisdictione sit qualitas, quæ non inest homini naturaliter; probari debet, quod non sit, nisi exhibitione mandati, quo docere possit commissionem sibi factam ab eo, cujus est, delegare potestatem relaxandi legem suam pro tali casu, ut bene docet Sanchez cit.

224. R. non sufficere, quod presentetur delegationis, seu litterarum commissionis exemplar, sed debere mandatum originaliter presentari. Nam alias nec certus fuit delegatus de jure sibi competente; nec de illo probationem faceret debitam; & ejusmodi commissiones in re tam gravi, qualis est valor hujus Sacramenti, pendentis a jurisdictione delegata, sæpe suppositivis litteris, & fraudum periculis exponerentur; ita Card. Tusch. *conclus.* 435. n. 9. & complures alij.

225. Ex hoc colliges, ut Oratores a delegato valide dispensentur, non sufficere, quod Pontifex supplicationi annuerit, quod mandatum super hoc expediti præceperit,

Tom. IV.

quod Oratores certi sint, jam etiam esse expeditum mandatum, & actu esse in via, imò statim adfuturum, si delegatus illud in originali nondum habet; tum quia jurisdictione sibi commissa prius uti non potest, ut dictum est n. 2223. tum quia delegatus nulliter agit, non præmissa cognitione causæ secundum formam mandati, ut dicemus infra. Et ideo, si Oratores impediti, post supplicationem Romæ factam, ac ejus admissionem à Papâ, certiores de mandato redditi, & commissione proximè mittenda, dissimulato impedimento, etiam in facie Ecclesiæ contraherent, contractus irritus esset, etiam si per errorem putaverint, hoc ipso se solutos ab impedimento, quod Papa concesserit, ut ipsorum Ordinatio dispensatio quoad ipsos committatur; quia tamdiu manent legati impedimento, donec delegatus mandatum exequatur, ut per se constat; mandatum enim non continet gratiam factam, sed faciendam.

Hinc si Orator sciens impedimentum, 2226. crederet sufficere, quod Pontifex supplicationi annuerit, & mandatum proximè adfuturum sit, oratrici persuaderet, se jam posse licite, ac valide contrahere, & ambo facto contraherent, matrimonium nullum foret; & si oratrix errore vel deceptione cognita, cum illo remanere nolle, etiam si copula intervenerit, vel Orator spondeat, se procuraturum mandatum dispensationis, valide ac licite peteret *judicio Ecclesiæ* ab illo separari, nec ei declaratio nullitatis negari posset, si Oratorem conveniret apud Ordinarium, de quo dictum est in superioribus qq.

## §. VIII.

An mandatum dispensationis expiret mortuo Papâ?

Quæstio procedit, si res adhuc sit integra? negativam sequitur Sanchez l. 8. *hic* d. 28. n. 44. quod omnino procedit, si mandatum datum sit nomine *sedis Apostolicæ*; hæc enim stat, etiam extincta persona, quæ illam sedem tenebat; sed si data sit nomine ipsius Papæ, tunc Ecclesiam gubernantis? de *Justis* l. 1. c. 6. n. 50. censet non esse improbabile, omnes ejusmodi commissiones, quæ incipiunt à nomine *Pontificis*, censeri tamen factas nomine *sedis Apostolicæ*, consequenter non expi-

Zzz

rare



rare mortuo Papâ: Sanchez tamen *cit. n. 46.* iudicat, eo casu habendas tanquam factas nomine persone, seu nomine ipsius Pontificis; ex quo sequitur delegationem, re adhuc integrâ, Pontifice mortuo, exspirare juxta communem doctrinam, quod gratia concessa ad beneplacitum persone concedentis, extinguatur ejus morte, de qua Barbof. de Clausul. Usufrequent. V. Ad beneplacitum n. 2. & hoc indefinitè videtur procedere de jurisdictione delegata nomine persone delegantis; cum solum excipiatur *jurisdictio Ordinaria* propter favorem publicum. sic Barbofa *cit. n. 4.* cum Sanchez l. 8. hic d. 28. n. 5. si tamen simul etiam exprimeretur *sedes Apostolica*, omnino probabile est, concedi nomine dignitatis, ut vult de Justis.

2228. Not. præterea, delegatum à Papa, quoad causam delegatam (esto alias tantum esset Vicarius Episcopi) habere eandem auctoritatem, quam habet ipse Papa c. Sanè. 11. de offic. delegat. Et ideo informationes capiendas, & depositiones testium excipiendas, committere poterit non tantum inferiori, sed etiam se superiori in alijs; & quamvis in mandato nihil dicatur de recipiendo juramento à Testibus: quia tamen, concessâ jurisdictione, concessâ intelliguntur omnia, sine quibus ipsa exerceri non potest, eo ipso etiam illud ab ipsis exigere, ac recipere valet.

## §. IX.

An Contenta in mandato ante executionem verificari debeant?

2229. Ante resolut. not. delegatum in re tanti momenti exequenda, cum agat vices summi Pontificis, conscientiam ejus onerantis, debere procedere cum omni relictitudine, prudentia, & diligentia. Et ideo Trid. sess. 22. de Reform. c. 5. vult dispensationes committi Ordinarijs, qui tamen dispensare non possint, nisi causâ cognitâ, & probatis precibus; idem habet sess. 25. de Reform. c. 18. qua de causa etiam in mandato ponitur clausula: *de premissis te diligenter informes*; ex hoc enim sequitur. 1. non sufficere, quod impedimentum, super quo dispensandi sunt Oratores à Commissario, sit notorium, nisi id ipsum iste accipiat *per informationem ab alijs acceptam*, rebus diligenter examina-

tis; nam licet hæc conditio, *te informes*, tacitè insit mandato; tamen cum hoc termino *diligenter* non ineat tacitè mandatum, consequenter plus exigit, quam præcisè notorium, & conditio, quæ tacitè ineat; ita Sanchez l. 3. d. 33. n. 34. & l. 8. d. 34. num. 26. quod confirmatur ex illis etiam verbis in mandato expressis: *& per informationem eandem preces veritate nisi repereris*. V. tamen dicenda. à n. 2233.

Sequitur. 2. informationem illam prævia prærequiri, ut formam, seu conditionem, sub qua sit commissio dispensandi, sic, ut eâ non positâ, jurisdictione non censeatur Commissario absolutè concessâ; ita Sanchez *cit. d. 34. n. 26.* Filiuc. tom. 1. tr. 10. p. 2. n. 354. & alij. Concessio enim facta, ut dispensetur, *si per diligentem informationem compereris preces veritate nisi*, conditionalis est, ex dictis.

Sequitur. 3. informationem in mandato requisitam cadere super omnia Pontifici narrata; hoc est, ea, quæ Pontifici preposita. 1. quoad impedimentum, pro cuius dispensatione supplicatur. 2. quoad ea, per quibus gratia principaliter fundata est. nimirum causas, ex quibus Pontifex finaliter motus est ad dispensationis gratiam concedendam; sic Garaciâ de Benefic. p. 6. c. 2. §. 2. n. 225.

Sequitur. 4. non deficere mandatum, etsi aliquid ex narratis non verificetur, si illud non pertineat ad substantialia mandati, cujusmodi sunt impedimentum præpropositum, secundum quod debet de jure, ut dictum est supra, & causæ pro dispensatione in tali casu receptæ; ita Sanchez l. 8. d. 21. n. 32. excipe nisi aliquid accidentale foret omissum, unde sequitur præjudicium tertio. Nam eo casu fieret exponendum de necessitate; quia Pontifex non intendit, per gratiam uni faciendam, alteri causare præjudicium, nisi hoc expresso addatur: *non obstante jure tertij*, &c.

## §. X.

Qualiter verificandæ preces?

Antequam delegatus ad exequendum dispensationis mandatum procedat, ipse per diligentem informationem, constare debere de veritate precum, diximus præced. difficultas nunc est. 1. quo tempore veræ debeant esse preces? an imp-

trationis